# EPISTOLA ENCYCLICA

## ILLUSTRISSIMI ARCHIEPISCOPI

# ULTRAJECTENSIS,

## NOMINE CLERI BATAVI,

## AD

## *Ill. Archiepiscopos & Episcopos, &c.*

## Ecclesiæ Catholicæ.

ILLUSTRISSIME ECCLESIÆ PRINCEPS;



NOTA esse arbitramur Caritati tuæ ACTA ET DECRETA *Synodi* Cleri Romano-Catholici *Provinciæ Ultrajectensis* celebratæ anno M. DCC. LXIII. anno sequenti publicam in lucem typis edita.

Hinc idem Clerus mittendam Tibi decrevit & subjiciendam æquitatis tuæ judicio Epistolam, quam pro tuendâ hujus Synodi auctoritate, juribusque Ecclesiæ Batavæ vindicandis, scripsimus in ultimo Cœtu nostro mensis Octobris proximè elapsi ad Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem Papam XIII. Quæ quânam occasione & quâ mente scripta sit, præsentibus Tibi Litteris breviter aperiri res ipsa postulat.

I. Et quidem si ante hos annos, Præsul Illustrissime, rerum nostrarum aliquid ad aures tuas pervenerat, haud ignoras gravissimam nobis ab initio hujus seculi cum Curiâ Romanâ controversiam esse, imò potiùs moveri contrà nos à notissimis Ecclesiæ nostræ adversariis apud Curiam existentibus.

Summa autem hujus controversiæ in eo sita est, quòd variis Decretis Romæ contrà nos subreptis, jurisdictionem omnem ordinariam nobis abrogare, aut apud nos extinguere modis omnibus tentaverunt; ut liberiùs (a) *dominantes in Cleris*, totam sibi auctoritatem in gregem nobis commissum usurparent.

Cùm verò in juribus nostris tuendis, prout postulabat officii nostri ratio, invictos nos semper præbuerimus, inde palàm pro schismaticis ac etiam hæreticis, pro suo calumniandi more, nos traducere ausi sunt.

Porro de doctrinâ nostrâ quidquid illi ab integro propè sæculo calumniantur, satis superque refutatum est multoties. Et à nobis jam nemo negabit abundè satisfactum in hoc capite; cùm nullus in documentis nostris error vel levissimus argui potuerit unquàm, nec aliquid sentire nos contigerit aut docere quod omnibus melioris notæ Catholicis commune non sit. Id sæpè aliàs palàm factum est orbi Christiano; tùm præsertim per evulgata noviter ACTA ET DECRETA Synodi nostræ supradictæ. Fidem nostram quæ apertissimè in his exponitur super omnibus ferè Religionis articulis, & illis maximè qui ad communionis Catholicæ vinculum pertinere noscuntur, non irreprehensibilem modò, sed per omnia laudabilem repertam fuisse nobis undique nuntiatum est, Specialiter id testatæ & gratulatæ sunt innumeræ ad nos ex omnibus Ecclesiæ partibus transmissæ litteræ à vi-

(a) 1. Petr. V. 3.

ris Theologis ſcientiâ & pietate aut etiàm dignitate Eccleſiaſticâ conſpicuis. Quin i nò certiſſimâ viâ nobis innotuit, ipſum Summum Pontificem, qui hodie Eccleſiæ Catholicæ præſidet, & ad quem primum ante omnes ex recepto more DECRETA illa noſtra & *Expoſitionem doctrinæ* transmiſeramus, ſtatim ea *valdè bona* judicaſſe.

Cùm igitur ex ultroneâ hâc Eccleſiarum conſenſione fideique nobiſcum communione, futurum brevi tribulationibus noſtris levamen aut finem ſperare fas eſſet; toti eramus in agendis omnipotenti Deo gratiis, qui (*a*) *poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundit.* . . .

At ecce teterrima in nos indefeſſi adverſarii noſtri moliebantur conſilia, ut illa etiam *Acta Decreta*que in irritum, ſi fieri poſſet, deducerent, ſibi nimirùm infenſiſſima, ob cenſuras multiplices quibus tot falſa eorum documenta configere in hâc ipſâ Synodo, pro ſalute gregis noſtri, plurimorum & Præſulum & Summorum etiam Pontificum exemplo, neceſſe habuimus. Extorſerunt illi tandem à Romanæ Curiæ Officialibus, poſt octodecim menſium machinationes, perque fraudium & artium omnis generis pertinaciam importunam, Decretum quoddam nomine Summi Pontificis publicatum die 30. Aprillis M. DCC. LXV. ſub inſolito DECLARTIONIS titulo: per quod nempè prædicta Synodus *nulla* declaratur & *illegitima*, quin & *Pſeudo-ſynodi* appellatione infamatur, quaſi ab iis *qui extra Eccleſiam collecti* fuerint *celebrata ſine legitimâ juriſdictione atque auctoritate;* ACTA ejus reſcinduntur, reprobantur ut *ſchiſmatica;* fidelibus *omnibus & ſingulis* injungitur, ne *rata* illa habere ullo modò aut *probare* audeant; LIBER denique *quo evulgata fuerunt* damnatur ac prohibetur, interdictâ ipſius lectione *ſub pœnâ excommunicationis incurrendæ ipſo facto.*

Intelligis quid ſibi hæc velint, Præſul Illuſtriſſime. Conſpiciunt tandem, vel inviti, adverſarii noſtri, fruſtrà ſe hodie oblatraturos contrà fidem doctrinamque Cleri Ultrajectenſis, vulgatam omnibus e Synodo noſtrâ, & omnibus probatiſſimam. Quamvis enim in aliis quibuſdam Decretis (Româ ipſis nimiùm credulâ) fidem noſtram in ſuſpicionem adducere olim tantaverint, in hâc ultimâ tamen Declaratione adverſùs Concilium Ultrajectinum, quod maximâ ex parte circà doctrinam verſatur, de doctrinâ ne verbum quidem effutire auſi ſunt. Ipſam ergo Synodum ejusque *Acta & Decreta* irritare tentant, *ex juriſdictionis atque auctoritatis* defectu, dùm in DECLARATIONE iſtâ, unicè clamitant nos eſſe eos homines (Eccleſiæ videlicet Batavæ Epiſcopos Romano-Catholicos). qui jamdudùm *Apoſtolicis Decretis* majoris excommunicationis mucrone *ſegregati ſunt à Catholicâ Eccleſiâ*, quos *etiam ſchiſmaticos vitandos* novit eadem Eccleſia *declaratos fuiſſe*, & *ab omnibus Epiſcopalis juriſdictionis & dignitatis muneribus interdictos:* qui proindè nec Synodum ullam cogere, nec apud ſuos quidquam *de fide, de moribus, de diſciplinâ* tanquam *judices in Eccleſiâ ſtatuere* ac decernere potuerint..

II. Diſſeminatâ per Chriſtianum orbem DECLARATIONE hujuſmodi Sanctiſſimi Patris noſtri Clementis Papæ XIII. nomen auguſtiſſimum auctoritatemque præferente; illicò ſenſimus hoc velut ultimum ab adverſariis deſperatis injectum nobis telum eſſe, ad convellenda penitus Eccleſiæ noſtræ ſtatum & jura ac exiſtentiam ipſam. Quippè quæ ſi non alios Epiſcopos duces habeat quàm *Schiſmaticos, excommunicatos, interdictos,* quaſi truncus ſine capite jaceat, communi cæterarum Eccleſiarum jure nudata prorsùs, atque omni juriſdictionis ordinariæ Paſtorumque legitimorum auxilio & virtute deſtituta. Neque hoc tantùm, Illuſtriſſime Præſul: verùm hâc unicâ de cauſâ (quis credat unquam?) & *Schiſmatici* illi dicuntur & *excommunicati* & munere ſuo *interdicti*, quia ab ipſâ Eccleſiâ ſuâ ſunt electi juxtà morem Eccleſiæ totius antiquiſſimum, juxtà Con-

(*a*) Tob. III. 22.

cordata

cordata etiam Germanica, ſub quibus Ultrajectenſis Eccleſia ſpeciatim comprehenditur, ut expreſſe declarat Summus Pontifex Sixtus P. IV. Conſtitutione 13. Julii 1472 (*a*).

Id ſibi jam pridem voluêre illi noſtri priſtini hoſtes, totam Eccleſiam Batavam funditùs eſſe collapſam; in quâ nullus *ante annos centum* Clerus proprius, nullum Capitulum, nulli Paſtores ordinarii, nulla jura Eccleſiaſtica ſupereſſent. At quidquid ab illis hucuſque tentatum fuerat ad hanc Eccleſiæ noſtræ ſubverſionem adſtruendam, id per occultas duntaxat molitiones obtinere conabantur, & per Epiſtolas quaſdam aut furtiva *Brevia* velut nomine Summi Pontificis directa *ad Belgii fœderati Catholicos:* neque extra noſtras conterminas-ve Belgii Provincias quidquam eâ de re edici aut vulgari contigerat. Nunc verò illud idem publicè ſanciri curaverunt ac definiri DECLARATIONE in Pontificiæ Conſtitutionis modum *ad perpetuam rei memoriam* conceptâ, & Romæ ſolemniter affixâ publicatâque, & per varias orbis Catholici partes, ſi non promulgatâ legitimè, attamen utcumque quantùm in ipſis fuit divulgatâ. Sic ubique proponendam volunt, & quaſi ex oraculo Apoſtolicæ Sedis amplectendam generaliter falſiſſimam, quam ipſi finxerunt, Eccleſiæ Batavæ imaginem: nec ſolùm ut pro nullâ habeatur atque ſubverſâ, ſed etiam pro alienâ atque *ſchiſmaticâ*, cum quâ *communionem ullam habere* vetitum ſit ore Apoſtolico fidelibus omnibus, utpotè quæ ipſa per Paſtores ſuos nullam *cum Catholicâ Eccleſiâ communionem* habeat, ipſiſque adhærendo numquam habere poſſit. Hinc & in eâdem illâ DECLARATIONE quot verba continentur, totidem ſunt acerbiſſima in nos convicia.

Coëgit nos itaque rei atrocitas, Illuſtriſſime Præſul, ad patefaciendam etiam Eccleſiis omnibus, eòrumque Prælatis potiſſimùm, cauſæ noſtræ juſtiſſimæ defenſionem. Et adversùs DECLARATIONEM iſtam (ſi credere fas ſit Pontificiam), tàm noſmet ipſos quàm Eccleſiæ Batavæ jura eò fortiùs tueri neceſſarium viſum eſt, quò periculoſius erat, ne tanto nomine ſuffultæ tot ac tam graves calumniæ fidem incautis facerent.

Salvâ ergò per omnia quæ Sanctitati ſuæ reverentia debetur, confutandum fuit quidquid injuriosè confictum in illâ DECLARATIONE contra Synodum noſtram *Actaque* illius & *Librum* quo evulgata fuerunt. Aperiendum imprimis, expoſitâ fideliter Actorum ipſorum ſubſtantiâ totâ, quale dedecus inuri voluerint adverſarii noſtri Sedi Apoſtolicæ per attentatam ejus nomine Actorum illorum reſciſſionem, quantum ſanæ doctrinæ ferè univerſæ detrimentum, quàm anceps in fide Chriſtianâ Catholicis omnibus periculum, quale Acatholicis inter quos verſamur ludibrium, quanta proindè Summo Pontifici ſubreptio facta fuerit, & quàm turpiter ipſi illuſerint qui hujuſmodi Decretum aut à Sanctiſſimo Patre extorſerunt, aut quaſi ab eo profectum vulgare non erubeſcunt. Indè verò, cùm ex ſolo *juriſdictionis atque auctoritatis* defectu, vim omnem & robur eorum omnium quæ in Synodo noſtrâ acta & decreta ſunt, elidere tentaverint DECLARATIONIS fabricatores, protinùs hîc demonſtrandum incubuit, ſubjectâ ex monumentis ad controverſias noſtras pertinentibus breviſſimâ narratione factorum, Eccleſiam Batavam nequaquàm exauctoratis Paſtoribus inermem omni Eccleſiaſticâ juriſdictione deſtitui, ſed ſolida Eccleſiarum omnium jura ſalva ſemper & integra in ipſâ permanſiſſe; falsò ac temerè noſmetipſos tanquam notâ *Schiſmatis* inuſtos & cenſurarum fulmine percuſſos argui coram orbe Catholicò, &c. Et hanc ſanè ſæviſſimam accuſationem tantò longiùs à nobis arcendam duximus, quòd & facta ipſa teſtentur, & jura omnia divina humanaque conclament cuilibet vel minimùm attendenti, nos neque *ſchiſmaticos* unquàm fuiſſe, qui nunquam à Cathedrâ Petri nec ab ullius Catholici communione receſſimus, neque ullo jure *excommunicatos* aut *interdictos*,

(*a*) Vide hanc Bullam in *Defenſione Eccleſiæ Ultrajectinæ*, Monum. V. p. 271.

*dictos*, in quos nempè nulla unquam sententia, nullum Decretum ex juris ordine prolatum fuerit; sed nec ullum proferri potuisse, cùm nullum delictum admiserimus, sed *in omnibus* à primâ controversiarum origine usque nunc (*a*) *exhibuerimus nos incontaminatos esse negotio*, & irreprehensibiles (*b*) *coràm Domino & coràm Christo ejus* Summo Pontifice. Ex quorum omnium discussione facili & candidâ expositione evidens fiat, tetra illa horridaque imaginum figmenta, quibus tam nostra quàm Ecclesiæ nostræ facies larvata deformatur, in totum discrepare à vero, nec sibi usquàm consistere, nisi in adversariorum (qui camarinam hanc ab annis plusquàm sexaginta nobis moverunt, & ferociùs hodie exacerbare satagunt) mendaciis & fraudibus & calumniis, consiliisque perditissimis.

Collectis porrò in hoc opus verè ingentis momenti lucubrationibus nostris, monuit nos ipsa reverentia Pontificii nominis, quo tam indignè abusi sunt adversarii nostri in DECLARATIONE novissimè evulgatâ, totam hanc apologiæ nostræ veluti summam sub Epistolæ formâ dirigere ad ipsum Summum Pontificem. Filios ingenuos, si quandò illis injustè iratus est pater, non alibi magis decet quàm in ipso parentis sinu querelas suas deponere.

III. Ipse videas & judices, Illustrissime Præsul. Incredibilia ferè sunt, at verissima, quæcumque oculis tuis subjicientur. Nec alienum à te reputes quidquam eorum quæ ad causam nostram pertinent. Jura omnium Ecclesiarum impetuntur in Ecclesiâ Batava, honor Episcopalis profligatur in personâ nostrâ. Quid multis? Unitati (*c*) *Corporis Christi* consociamur: Ecclesiæ Dei in quâ Te (*d*) *Spiritus Sanctus posuit Episcopum*, & nos pars sumus, nec sanè contemnenda, cùm Provincia nostra maxima sit. Omnium autem Ecclesiarum interest, ne (*e*) *Ecclesia* Catholica *aliquâ corporis sui portione vastetur, ne grex* Dominicus *detrimentum sustineat, ne de familiâ* Christi *damno inimicus exultet.*

Ergò, (*f*) *si quid potes adjuva nos*, Præsul Illustrissime. Et (*g*) *si qua consolatio in Christo, si qua societas spiritûs, si qua viscera miserationis*, imple gaudium nostrum: atque nosmet-ipsos (indignos quamvis) Collegas tuos, & Ecclesiæ Batavæ res afflictas, apud Deum omnipotentem, apud Ecclesiam universam, apud Pontificem Summum auxilio subleva benignus opportuno.

Id expectamus, id à Te speramus; id totius Ecclesiæ Batavæ nomine suppliciter obsecrat Christi conservus, & Magnitudinis ac Gratiæ Tuæ,

*Illustrissime Ecclesiæ Princeps*,

Addictissimus & Obsequentissimus Famulus.

Ultrajecti, die 1. Maii M. DCC. LXVII.

† PETRUS JOANNES MEINDARTS,

*Archiep. Ultraject.*

De Mandato Cleri Batavi

N. *VAN MAEREN* Secret.

(*a*) II. Cor. VII. II. (*b*) I. Reg. XII. 3. (*c*) Ephes. IV. 12. (*d*) Actor. XX. 28. (*e*) Missale Paris. orat. *in Cæna Domini.* (*f*) Marc. IX. 21. (*g*) Philip. II. 1. 2.